

Latin Khâgne Ulm Lyon: Versions latines pour débutants

L'ambition démesurée d'Alexandre

1

Agebat infelicem Alexandrum furor aliena vastandi et ad ignota mittebat. An tu putas sanum, qui a Graeciae primum cladibus, in qua eruditus est, incipit? qui quod cuique optimum est, eripit, Lacedaemona servire jubet, Athenas tacere? non contentus tot civitatum strage quas aut vicerat Philippus aut emerat, alias alio loco projicit et toto orbe arma circumfert; nec subsistit usquam lassa crudelitas immanium ferarum modo quae plus quam exigit fames mordent. Jam in unum regnum multa regna coniecit, jam Graeci Persaeque eundem timent, jam etiam Dareo liberae nationes jugum accipiunt: it tamen ultra Oceanum Solemque, indignatur ab Herculis Liberique vestigiis victoriam flectere¹, ipsi naturae vim parat.

SÉNÈQUE

Note

1. *ab vestigiis flectere*: «s'écarter des traces»; les «Colonnes d'Hercule» (déroit de Gibraltar) marquent la limite du monde exploré par Hercule; Bacchus ou Liber avait atteint l'autre limite, du côté de l'Orient.

Portraits comparés de César et de Cat

2

Caesar beneficiis ac munificentia magnus habebatur, integritate vitae Cato. Ille mansuetudine et misericordia clarus factus, huic severitas dignitatem addiderat. Caesar dando, sublevando, ignoscundo¹, Cato nihil largiundo² gloriam adeptus est. In altero miseris perfugium erat, in altero malis perniciēs. Illius facilitas, hujus constantia laudabatur. Postremo Caesar in animum induxerat laborare, vigilare, negotiis amicorum intentus sua neglegere, nihil denegare, quod dono dignum esset; sibi magnum imperium, exercitum, bellum novum exoptabat, ubi virtus enitescere posset. At Catoni studium modestiae, decoris, sed maxime³ severitatis erat; non divitiis cum divite, neque factione cum factioso, sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat; esse quam videri bonus malebat: ita, quo minus petebat gloriam, eo magis illum sequebatur.

SALLUSTE

Notes

1. *ignoscundo*: *ignoscendo*.
2. *largiundo*: *largiendo*.
3. *maxime*: *maxime*.

Les méfaits de l'ivresse

3

Omne vitium ebrietas et incendit et detegit, obstantem malis conatibus¹ verecundiam removet. Plures enim pudore peccandi quam bona voluntate prohibitis abstinent. Ubi possedit animum nimia vis vini, quicquid mali latebat emergit. Non facit ebrietas vitia, sed protrahit: tunc libidinosus² ne cubiculum quidem exspectat, sed cupiditatibus suis, quantum petierint, sine dilatione permittit; tunc impudicus² morbum confitetur ac publicat; tunc petulans² non linguam, non manum continet; crescit insolenti³ superbia, crudelitas saevo³, malignitas livido³: omne vitium laxatur et prodit⁴. Adjice illam ignorationem sui, dubia et parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia velut aliquo turbine circumagente totam domum, stomachi tormenta, cum effervescit merum ac viscera ipsa distendit.

SÉNÈQUE

Notes

1. *malis conatibus*: traduire par «aux mauvais instincts».
2. Sous-entendre *homo* après *libidinosus*, *impudicus* et *petulans*.
3. Sous-entendre *homini* après *insolenti*, *saevo* et *livido*.
4. *prodit*: traduire par «se manifeste».

Modération de César pendant les guerres ci

4

Moderationem vero clementiamque cum in administratione tum in victoria belli civilis admirabilem exhibuit. Acie Pharsalica proclamavit ut civibus parceretur, deincepsque nemini non suorum quem vellet unum partis adversae¹ servare concessit. Nec ulli perisse nisi in proelio reperientur, exceptis dumtaxat Afranio et Fausto et Lucio Caesare juvene; ac ne hos quidem voluntate ipsius interemptos putant², quorum tamen et priores post impetratam veniam rebellaverant et Caesar, libertis servisque ejus³ ferro et igni crudelem in modum enectis, bestias quoque ad munus populi comparatas contrucidaverat. Denique tempore extremo, etiam quibus nondum ignoverat, cunctis in Italiam redire permisit magistratusque et imperia capere; sed et statuas Luci Sullae atque Pompei a plebe disiectas reposuit; ac si qua⁴ posthac aut cogitarentur gravius adversus se aut dicerentur, inhibere maluit quam vindicare.

SUÉTONE

3. Ne pas confondre les deux César: *ejus* représente l'*imperator*, Lucius Caesar, sujet de *contrucidaverat*, était le fils d'un lieutenant qui avait participé à la conquête des Gaules.